DE SPANACHIA. CAP. CCLIX.

C

NOMINA.

Spanachia cur dicta.

SPANAXIA Græcis recentioribus, Spinacia uel Spinaceum olus Latinis appellari potest. Arabicæ factionis principes Hispanach, hoc est, Hispanicum olus nominant. Germani Spinet / oder Spinnat. Spanachiam hauddubiè ab oleris raritate dixerunt Græci: rarò enim illo utebantur medici, quod cibo magis forsitan, quàm medicinæ nata esset, nec quicquam illustre sortita. Vel, quod etiam simile ueri est, ab alijs nationibus emendicato spinaceo nomine. Spinacia uulgò dicta est ab insigni seminis spiculorum nota: etsi enim herba ipsa glabra & mollis sit, semen tamen in spinas occalescit. Hispanicum uerò olus nominauere, forsitan quod inde primum duxerit originẽ, ad cæteras tandem nationes translata.

Spinacia unde uocata.

Hispanicum olus

FORMA.

Exit septem diebus à satu, folio primùm triangulo, molli, mox intybi, plerunq; quà pediculo cohæret laciniato, inerti sapore, exigua radice, tenuibus capillamentis fibrata, caule cubitali, nonnunquã altiore, intus cauo: floribus in uertice rotundis, racematim coëuntibus, exiguis: semine spinulis horrido.

LOCVS.

Nullum solum respuit, sed ubicunque satum fuerit hic lætissimè prouenit.

TEMPVS.

Seritur Septembri mense, non horrens hyemis frigora, ut uerno tempore cibũ suppeditare possit. Martio etiam mense seritur, Iunio autem & Iulio mensibus semen & flores profert.

TEMPERAMENTVM.

D Spinachia primi refrigerantium & humectantium ordinis est.

VIRES.

Aluum emollit. Melius Atriplice suppeditat alimentũ, sed aluo parum hærens facilè exigitur. Flatus colligit, & uomitiones concitat, nisi excrementitius humor abijciatur. Ventrem decoctæ ius proluit. Stomacho inutile. Et cæteras ferè omnes Atriplicis uires sibi fertur arrogasse.

DE SANI-

SPANACHIA